

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1493

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

177

HERMENEUTICI.

178

CXVI.

U. 24 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 376. f. per duas columnas bene descriptus, et rubricis enotatus in Theca anteriore legit: *Egregius vir sacre theologie ac arcium liberalium doct̄or olim famosissimus atque ecclesie sancti stephani wien. canonicus predignus magister thomas (Wölfel) de wldersdarff in preclaris suis diebus mortem obiit. et collegio ducali vienne hunc librum testatus est. cuius anima deo feliciter uiuat. Anno 1478. Rectoratu Academicō Vir hic funetus est annis 1442. 57. et 63. Est porro Codex hic Pars I. vasti Operis Postillarum in universa Biblia Nicolai de Lira O. M. Normanni, Scriptoris Sec. XIV. editarum non semel sub ipsa artis impressoriae initia cum seorsim, tum in Bibliis glossatis; continet vero Pentateuchum, Jo-*

sue, Judices et Ruth. Initium est: Hec omnia liber vite. Ecc. 24. secundum quod dicit Beatus Gregorius &c. Nec est, quod addam, nisi, quod ad Geneseos calcem Opus istud a Librario Legura adpelletur.

CXVII.

U. 27 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 168. f. per duas columnas crassius exaratus et rubricis distinctus complectitur Nicolai de Lira O. M. Postillas in Pentateuchum cum duplice Prologo: *Per (Haec) omnia liber vite &c. et: Vidi in dextra sedentis &c. Deuteronomii Expositio a verbis in C. XX. et animare populum bonis excitationibus ad secure — — intercidit. Librarium siticulosum fuisse oportet; Exodus enim et Levitico hoc votum subdidit:*

*Vinum scriptori tribuatur de meliori.
Explicit hoc totum Magister da mibi potum.*

Thecae anticae intus adscriptum: *Hunc librum Magister lampertus de gelria et petrus de Pulka theologie professores, ac Magistri Jobannes de tamms Jacobus werbardi Theodoricus de hammelburk Nycolaus de Götespriln Henricus de basellach Jobannes de Gmunden Jobannes Röchl et Petrus de Pirichenwart pro tunc collegati collegij ducalis emerunt et pro libraria eiusdem collegij sponte donauerunt tali condicione. Reliqua importune erasa. Ex his Lamper-*

Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

tus Gelder obiit 1419. Petrus de Pulka alio nomine Zach, Theod. de Hammelburg Rudolphi, Nic. de Gottesbrun Pockinger fuit. Gestata ab iis munia habes in Locheri Speculo Acad. Vien. qui Johannem de Tamms pluries et fortasse redivius de Tannis compellat.

CXVIII.

R. 23 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 187. f. per duas columnas currente calamo scriptus, rubricis enota-

M

enota-

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 1493

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

179

C O D I C E S

180

enotatus, et olim *Conuentus sancti Thome martiris Quinqueecclesijs fundati fratum predicatorum*, dein *M. Nicolai de Creek praedicatoris Ecclesiae illius*, qui illum a F. Paulino O. P. in concambium pro *Epistolis Hieronymi* accepit, continet *Nicolai de Lira O. M. celebris Sec. XIV. Bibliorum interpretis Postillas in Pentateuchum*, ut mox ab inventa typographia saepius editae sunt, et in Bibliis glossatis v. g. *Lugduni 1545. f. habentur. Nobis rubro praescriptae sunt: Incipit lectura Nicolai de lira. Primus prologus de Commendatione sacre scripture. Ejus initium: Hec omnia liber vite &c. Prologus alter infit ita: Uidi in dextra sedentis &c. Tum procedit Expositio. Singulis libris subiectus est Scriptionis annus 1485. Genesi praeterea additur: in pentheco ten uel citra, Numeris: 2^a die festivitatis Augustini, et Deuteronomio: Finis in festo Beati Mathei apostoli et Evangeliste.*

CXIX.

U. 55 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 393. f. luculente exaratus, et rubricis distinctus *Lectio-*
nem Cursoriam, ut vocabant, *Bibliorum*, et quidem in *Pentateuchum* continet Autore quodam Academiae Vien. Professore, qui hoc ipso Exemplo pro Schola usus est, ut varia cum in marginibus adjecta, tum in schedis insertis adnotata credibile faciunt. Praemisit ille primo breuem collationem diuinialis sapientie recommendato-

riam, tum septem regulas secundum Nico. de lira exponendi sacram scripturam, demum *Genesin* sic ingressus est: *In principio creauit deus celum et terram. Secundum diuisionem consuetam dimissis curiosis tota sacra scriptura in duas partes diuiditur in vetus videlicet et nouum testamentum &c. Ad calcem Geneseos jacet haec nota: 1438. 3^a. feria post egidi finitum est hoc opus. Ad calcem Exodi altera: Finis expositionis super exodus lete et finite in scolis 2^a. feria post Annunciationem Marie. 1439. Tandem ad Deuteron. calcem, quae et Codicis est: 1440. viti. Literae plerumque probe insitit Commentator eruendus fortassis e Professorum Catalogo in Tabulariis Universitatis.*

CXX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 126 Folior. nunc 229. f. non una manu currente conscriptus et rubro distinctus complectitur I. *Lecturam in Genesin*, cuius Prooemium infit: *In principio creauit &c. Obmissis diuisionibus curiosis accipio primam diuisionem quae magis est consueta. Tota igitur scriptura sacra diuiditur in duas partes videlicet in vetus et nouum testamentum &c. Ad calcem legas: Explicit Anno Domini M° CCCC° XXX-III. in festo Sancti Udalrici hora 1. in libraria Collegij. In dorso vero Codicis manu recentiore tribuitur Johanni (Grössel) de Tittmanning Oppido Salzburg. Theologo nostro celebri et D. Stephani Cano.*